



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Iudex enim præfigendo certum tempus, intra quod aliquid fiat, videtur quoque nolle, ut idem extra illud tempus fiat; nisi ab eo aliud tempus seu nova dilatio petatur, arg. l. Mancipiorum & ibi Bart. de optione leg. l. Quod Labeo De compensat. Quam novam dilationem seu posterioris dilationis prorogationem in actis Ræ non reperimus. Sed cum hæc posteriora Impetrantis testimonia parum momenti habeant, neque Ræ multum obliant, nolumus in ijs confutandis esse operosiores. Quamobrem, ut finem faciamus, arbitramur, partes Domini Iudicis esse, ut per omnia secundum Opponentem sententiam ferat.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Facultas testandi Religioso concessa.

1. II. Facultas testandi, an prima testatione consumatur.
2. Vita sibi comite, hæc verba quomodo accipienda.
3. Testamentum semper revocabile.
4. Dispositio qualibet iudicatur secundum tempus, in quod confertur.
5. Donatio mortis causa speciem habet contractus & ultima voluntatis.
6. Donatio absentis facta revocabilis est, antequam sit acceptata.
7. Facultas eligendi testamento relicta quid operetur.
8. Sermo simpliciter prolatus an primo actu consumatur.
9. Confirmatio confirmati fines non excedat.
10. Acquirere nemo potest sine acquirendi voluntate.

CONSILIUM CCCCIII.

A VCTORITATE Decij, conf. § 12. Cum Reverendissimus, cui cedere videntur Marianus Socinus junior, conf. 89. Magna profecto vol. 1. & Didacus Covarruvias, in c. cum in officiis nu. 7. de testam. * oppugnat ultima dispositio quondam Reverendi Domini Lucæ Munich, Abbatis Monasterij S. Bavonis per quam de omnibus bonis dictæ Abbatiz per felices recordationis Paulum Tertium Papam suppressæ & extinctæ atque in Collegiatam Ecclesiam erectæ disposuit; bona ejusdem quondam Abbatiz post ejus obitum possidenda ac habenda in dictæ novæ erectæ Ecclesiæ Præpositum, Decanum, Cantorem, Scholasticum, Canonicos, aliæque ejus membra distribuendo: ex ea sola ratione, quasi idem Abbas disponendi facultatem ei per præfatum Dominum Paulum concessam primâ distributione consumpserit: ut generaliter plerique exillimant, primo actu, primæque dispositione actus explicandi potestatem consumi, perfici, ac finire, l. Boves §. hoc sermone de verb. signific. Cæterum quoniam veritati cedit auctoritas, l. consuetudo in princ. 8. distict. Archidiaconus in c. Corpus vers. & notatur de consecrat. distict. 2. excutiendæ veritatis magis, quam tantorum virorum auctoritatis oppugnandæ studio, paucis demonstrabimus, circumscriptâ priore Domini Abbatis dispositione, posteriori standum & adherendum esse; eique per Dominos Canonicos iustis rationibus contradici non posse. Etenim in verba Pontificiæ concessionis collimando, eaque ad genuinum naturalemque sensum, quem præ se ferunt expendendo, nullum occurrit restrictionis

vinculum, nulla ex tempore aut prima manus appositione angustia aut coarctatio, quæ eidem Abbati potestatem adimat dispositionis sui arbitrium ad extremum usque vitæ spiritum mutandi & alterandi. Cum enim, exceptâ solâ monachali portione, omnium bonorum dictæ Abbatiz perceptio & gaudium Abbati reserve tur, & plus relinquendi seu assignandi vel Monachis vel de novo assumendis Canonicis, vitæ sibi comite, ejus lubito relinquatur; conjunctimque statim subijciatur potestas, dignitates, Canonicatus & præbendas ex bonis Monasterij hujusmodi perpetuo dotandi, & dotem assignandi ad libitum suum, ut postea subijcitur; nobis persuadere non possumus, tam laxam, lateque patentem potestatem ad libitum voluntatis datam, in tam compressas angustias coniectam esse, ut quacumque primâ dispositione ad effectum plenamque executionem nondum perditâ, sed solum scripto pro futuro temporis executione comprehensâ, abruptâ, præcisiâ ac consumpta dici possit. ¶ Ut enim his verbis, Vita sibi comite, tractus temporis significatur, & totum vitæ tempus contingitur; ita quoque facultas ad vitæ tempus permixta toto eo tempore debet perdurare. ¶ Ita ut hæc concessio similis admodum sit, & proximè accedat ad facultatem testandi, quæ sive jure communi sive jure speciali, l. Si maritus De testam. l. Si quando De inoff. testam. concedatur, semper vitâ durante revocabilis censeatur etiam publicata non tantum scripta ac concepta, l. 4. De adm. legat. l. Hac consil. sissima C. de testam. l. Hæredes palam §. si quid post De testam.

Et quod voluntati ultimæ propius, quam actui 4 inter vivos accedat, inde apparet, quod ejus effectus in & post tempus mortis collatus sit: sic ut iudicando ac definiendo ipsam dispositionem secundum tempus, in quod confertur ejus executio seu effectus, Bart. conf. 76. Pater filio nu. 5. vol. 1. potius sit ultima voluntas, quam actus inter vivos; etiam si quoad ejus initium actui inter vivos accedere videatur; ideoque propter effectum, non propter initium revocabilitati subjacere debeat. * Exemplo donationis mortis causa, quæ in fronte speciem contractus habet, in exitu ultimæ voluntatis, l. ult. c. De donat. mortis causa; & ob id in vita semper revocari potest, §. 1. Inst. De donat. præsertim quia constat, eam fuisse mentem Pontificis, ut effectus hujus dispositionis in vita esset imperfectus; & ut quia vitæ mentio facta est, per omnia dicatur actus inter vivos, nihilominus revocabilitati semper foret obnoxius. Etsi enim actus & negotia, quæ duorum pluriumve voluntate aguntur & geruntur, ex prima dispositione plerumque perfectionem accipiant, & revocabilitati nisi communi consensu non subjaceant, l. Sicut C. De oblig. & action. quæ tamen negotia in unius tantum voluntate consistant, irrevocabilitatem statim perinde non accipiunt. ¶ Unde donatio simplex, quæ 6 initium habet à solus donare volentis voluntate, sive absentis verbo fiat, sive per epistolam confertur, extra revocationem non est, antequam donatario id innotescat, & is donationem acceptet, l. Absentis De donat. l. Nec ambigi, l. Si aliquid C. eod. tit. Dynus conf. 17. Quodâ Eccl. sic in proposito, quamvis Re-

Reverendus Dominus Abbas distributionem, donationem, & assignationem bonorum semel fecerit, scriptoque concluderit ac subscriptione sua comprobaverit: quia tamen his, quibus profutura erat, eam innotescere noluit, ut nec innotuit, & sic per eos acceptari nequivit, custodiaque tantum causa non apud Capitulum, neque eos, quos concernebat; sed apud eos, quibus inde nihil emolumenti acquiri potuit, deposuit; additâ in depositione ejusdem declaratione reservatæ potestatis mutandi & alterandi; nulla ratio patitur, ut dici possit jus inde acquisitum fuisse his, ad quorum utilitatem distributio ac dispositio facta fuit.

7 Et ne diu hareamus, extat exemplum in jure nostro, l. Cum pater §. hereditatem De legat. 2. l. heredes mei §. peto, l. Ex facto Ad S. C. Trebel. huic per omnia ferè simillimum; quo testator moriens uxori, aut alii facultatem concedit eligendi inter certas personas aliquem seu aliquos, cui testatoris bona restituantur; in quo responsum est, l. Vnum ex familia in princ. De leg. 2. eum, qui hanc potestatem habet, primâ declaratione, eligendi facultatem non consumere, nec aliquid jus electo ex electione acquiri; sed eligentem variare, & voluntatem usque ad mortem mutare posse. Quæ quidem electio non tantum testamento, & in ultima voluntate fieri potest, verumetiam per actum inter vivos, cum lex dicat, per electionem in vita extra testamentum factam, hoc efficere, ut electus creditor eligentis, ipsâ electione factus esse censetur, si in electione eligens perseveret; cum per testamentum nemo creditor testantis efficiatur, d. l. Vnum ex familia. * Vnde quod ex 8 vulgari regula profertur, sermonem simpliciter prolatum primo atque uno actu consumi, d. §. hoc sermone; per se lubricum & fallax est: ut ferè sunt omnes juris regulæ, quæ levi momento ex rerum circumstantiis officium amittunt & vitiantur, l. 1. in fine, l. Omnis definitio De reg. jur.

Quod etiam sit, ut ad restrictionem regulæ confugiant contradictores; quasi in odiosa materia planè obtineat: odium constituentes in eo, quod dispositio ac distributio rerum Ecclesiasticarum unius voluntati permittatur, contra tit. De reb. Eccles. non alienan. Caterùm odium hoc non satis agnoscimus: præsuppositâ enim veteris Ecclesiæ regularis suppressione, & novæ in Collegiatam erectione; in quo fortassis esse posset odii aliqua consideratio (de qua nunc nulla est quæstio) nihil nisi quod favore dignum sit, conspici potest in potestate hac distribuendi, quæ omnino necessaria fuit; & sine qua Ecclesia nova stare aut sustineri non poterat. Nam sine dotatione ac distributione, separatio quædam Ecclesiæ, & bonorum futura erat, quod religionis favor non permittit. Ita ut cum favorabilitatis considerationem contineat hæc facultas; sive eam faciat Pontifex, de quo dubitandum non est; sive alius ex ejus mandato & concessione; cum perinde sit ac si ipse faciat, l. Ita autem §. quod si quis De adm. nisi. tutor. l. Quod iussu De reg. jur. non debeat primo actu, præsertim imperfecto, & in lucem plenè nondum perducto, perfici ac consumi: cum uno ere ab omnibus tradatur, sermonem summo Conf. Wamers. Tom. II.

pliciter prolatum in materia favorabili non consumi primo actu, etiam perfecto, multò minùs imperfecto, Tiraquel. ad d. §. hoc sermone in 3. limitat. qualis est hæc distributio scripta tantum, & minimè publicata, aut per novos Collegiatos acceptata. * Nec dici potest revocabilitatis occasionem per confirmationem Iulii Papæ præscissam esse. Nam cum confirmatio confirmati fines non excedat, & ab iisdem conditionibus, quibus confirmatum, dependeat; ac iisdem qualitatibus, restrictionibusque cstringatur, Bald. in l. Nominationem in fine C. De appellat. Paulus Paris. consil. 22. Illustrissimam Dominam nu. 57. vol. 1. consequens est facultati mutandi, quæ ex prima concessione huic rei inerat, & per Dominum Abbatem reservata erat, ademptam non fuisse: de quo nihil dubitandum nunc est, propter confirmatam & approbatam posteriorem dispositionem per Papam modernum; quæ ut posterior, & in qua perseveratum est, posteriori derogat, l. Divi §. licet in fine De iure codicil. cum aliquo surreptionis, aut obreptionis vitio non laboret. Nam quod pro obreptione profertur, ex eo quod suggestum sit, ex priorè dispositione jus nulli quæritum fuisse, falsum non est, sed omnino verum.

Iam enim antè satis demonstratum est, nulli Collegiatorum in vita D. Abbatis aliquid acquisitum fuisse; tum propter revocationis potestatem; tum quòd nemo acquirendi voluntatem ex certa scientia habuerit, & sine voluntate acquirendi nemo acquirat, l. 3. §. adipiscamur De acquir. poss. voluntatem autem ignorans nemo habere censetur. Cujus quidem revocandi potestatis magnum argumentum quoque subministrat dicta posterior confirmatio: ob id, quòd in ea de priorè dispositione, & revocatione, ejusque revocationis, ac mutationis facultate aperta & evidens, recitatis etiam verbis, in quibus revocationis potestas latebat, fiat mentio. Cum enim ex jure dependeat, num revocatio, seu variatio permittitur, non potuit id Pontifex, in cujus pectoris scrinio omnia jura esse præsumuntur, c. 1. De constitut. lib. 6. ignorasse aut errore vel per surreptionem, revocationem aut variationem jure non permittam admisisse, ac confirmasse: ita ut quod de defectu certæ scientiæ profertur, stabile in proposito non sit.

Quæ cum ita sint conturbare non debet Decii, & qui eum sequuntur auctoritas, in re, & articulo, huic, quem nunc tractamus, per omnia parum simili: videlicet de facultate testandi concessa de iis rebus, de quibus testamenti factio aliqui jure communi non est permittitur; quæ huic applicari non potest, cum contineat materiam odiosam; hoc est, dispositionem bonorum Ecclesiasticorum, permittam liberam testandi licentiâ. At in proposito nulla est rerum Ecclesiæ abalienatio in quibuscumque personis, sed tantum dispensatio & distributio in Ecclesiam, ac personas Ecclesiæ, ad perpetuam Ecclesiæ utilitatem. De quo hic latius disputare operæ pretium non est: hoc solum addentes, ipsi Socino, d. cons. 89. suspectam esse illam Decii sententiam; cui non tam propter pondus rationum, quàm auctoritatem personæ cedit; ideoque etiam dubitative dicit, nu. 9. posse defendi contrariam opinionem, quæ habet, quod licentia testandi

V

primâ

primâ testatione consumatur. Suspicionem nobis auget, quod Socinus referat, in præfatione d. consil. 89. in ea causa etiam consuluisse Carolum Ruinum, Franciscum Curtium, & alios plures clarissimos Doctores Italiæ; quodque factâ diligentia nusquam in magna multitudine consiliorum Ruini, & Curtii, talia eorum consilia invenire non potuerimus. Ita ut verosimile sit Auctoribus ipsis in decisione veritatis displicuisse sua responsa, eaque non pro consilijs, sed pro allegationibus habuisse. Concludimus itaque, sublatâ priore, posteriori dispositioni standum esse.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Facultas testandi Religioso concessâ.

1. Monachus etiam Episcopus & Cardinalis testamentum facere non potest.
2. Monacho dare potest Papa licentiam testandi.
3. Signatura nuda Papæ literis non expeditis executionem non habet.
4. Resura in instrumentis an vitiet.
5. Limitata concessio limitatum producit effectum.
6. Liberti testamentum ultra bellum non valet.
7. Consanguinitas sola non facit legatum pium consanguineo relictum.
8. 12. Licentia testandi à Principe concessa quid operetur.
9. Princeps secularis an Monachum testabilem facere possit.
10. Licentia testandi non cõceditur cum præiudicio tertii.
11. Episcopus Monachus acquirit Ecclesiæ.
13. Princeps non præsumitur spiritualia usurpare velle.
14. 16. Revisionis vel supplicationis remedium an intendendum.
15. Legata non debentur quæ vires patrimonij excedunt.

CONSILIUM CCCIV.

REVERENDISSIMVS quondam Dominus Antonius Havetus Episcopus Namurcensis, ex ordine Mendicantium Fratrum Prædicatorum ad Episcopatum promotus & assumptus, impetravit à Sede Apostolica licentiam testandi de bonis per eum acquisitis, usque ad summam trium millium ducatorum; idque sub simplici signatura literis desuper non expeditis. Quâ licentiâ sic ad prædictam summam restrictâ, obtentâ, impetravit quoque à Regia Catholica Majestate licentiam testandi sine ulla restrictione, sed suppressâ mentione, quod esset Monachus in ordine Mendicantium. Quibus inculgentiis, seu licentijs sic impetratis, fecit testamentum, in quo de dictis acquisitis bonis, diversis personis, & in diversas causas legando, excessit dictam summam trium millium ducatorum ultra dimidium; præsertim legando redditum ducentarum librarum Margarete filia fratris sui. Queritur, an in excessu subsistat dictum testamentum?

Facilis & expedita est ad hanc questionem responsio, quoad limitatam illam licentiam Papalem. * Nam manifesta est iuris dispositio, quod Monachus post ingressum religionis, non possit facere testamentum; id prohibente non tantum Canonico, c. 2. De testam. sed etiam civili iure, Auth. Ingressi C. De sacros. Eccles. usque adeo ut contrariâ consuetudine aliud induci non possit, Bald. in d. Auth. Ingressum. 2. nec auctoritate Su-

perioris, cui Monachus subest, id ei permitti: ut nec ex auctoritate aut consensu patris filiusfamilias testamenti factionem acquirit, l. Qui in potestate De testam. Anchar. consil. 82. Dicta facti narratio nu. 3. Ratio enim & regula (ut inquit Socinus, Consil. 13. Præsens consultatio nu. 2. vol. 1.) repugnant huic contrariæ concessioni; rationem autem nulla consuetudo vincit, l. 1. C. Quæ sit longa consuetudo. Et regula Monacho non tantum bona, & bonorum capacitatem, præsertim in ordine Mendicantium, adimit; sed etiam omne velle & nolle, c. Cum ad monasterium De statu monach. Clem. Exiit de verb. signif. ut nec de cappâ suâ nec de Breviario suo testari possit, Zabarella consil. 17. Circa primum nu. 6.

Et hæc quidem non tantum in simplici Monacho obtinent; verumetiam in eo, qui in monachatu ad Episcopatum assumptus est. Nam cum per Episcopatum non desinat esse Monachus, & quantaxat eximatur à jurisdictione & obedientia sui Superioris; & sic quicquid acquirit non sibi, sed Ecclesiæ, ad quam assumptus est acquirit, can. 1. XVIII. q. 1. can. De monachis xv. q. 1. & ibi gloss. Rubens consil. 160. Viso elegant, Alex. consil. 32. Visa concessione nu. 8. vol. 5. ex accedente Episcopatus dignitate nihilo magis habet testamenti factionem, etiam si ultra Episcopatum Cardinalis efficeretur, Baldus & Castren. in Auth. Licentiam C. De Episc. & cleric. Bertachinus in tract. de Episcop. in 4. parte quarti libri n. 5. Ioannes de Imola in l. Si quis mori bona §. si servus in fine De acquir. hered. * Hoc interim receptum est, quod, ut cuicumque simplici, ita etiam Episcopo Monacho per Papam concedi possit, testamenti factio, rarius quidem indefinitè omnino libera de omnibus bonis, frequentius verò cum limitatione & restrictione ad certam quantitatem, doct. in d. Auth. Licentiam, & in d. Auth. Ingressi, latissime Socinus d. consil. 13. Ioannes Dilectus in arte testandi tit. 1. cautela 4. Quotidianus Mandosius in praxi signaturæ gratia tit. de licentiâ testan. Cujus generis est hæc licentiâ, quam præfatus Reverendissimus Episcopus Namurcensis obtinuisse dicitur.

In cuius tamen usu in proposita questione difficultas incidit, an valeat, non ex defectu potestatis ej. s. qui concessit, de qua dubitatio nulla est: sed ex defectu formæ; quod proponatur illam sub nuda signatura, literis Apostolicis desuper non expeditis, impetratam esse; ideoque dicto Domino Episcopo, ejusque testamento non iustitiam; propter regulam Cancellariæ Apostolicæ, quod nulli suffragetur dispensatio Apostolica nisi literis confectus, vel in forma vel saltem per breve, Ioannes Staphileus in tract. de literis gratia tit. de rescript. pr. Apostolicis §. post commissiones nu. 14. & quod secundum signaturam nudam judicari non debeat, nisi literis expeditis. Nam nuda signatura res informis est; quasi sub ea conditione signatura Papæ supplicationi adiciatur, si & cum literæ debite desuper expeditæ erunt, ideoque effectum non habet; quasi sine literis expeditis gratia probari non possit, & sic nudæ signaturæ usus nullus sit, l. 1. d. Gomes ad leg. Can. de non indicando in x. form. supplicat.

Et in proposito quidem minus, ob id quod in facto proponatur, quod hæc nuda signatura in papæ scripta resuras habeat, quæ solent omnia instrum.